


rit isto, cui tenera mentes in hâc arte sunt informandæ, quæ quod ex-
 perientia testatur, non tam citò paucas musicales præceptiones, quàm
 plures grammaticales in usum convertere addiscunt. Quod mihi tum
 ansam præbuit, cogitationes de hisce difficultatibus si non tollendis,
 attamen mitigandis suscipere, cum antè annos aliquot Cantoris
 provinciam in hâc inçlyta civitate Rostochiensi, scholaq; ibidem ad-
 ministrarem. Et, ut tunc temporis feci, ita etiam nûm censeo teneris
 mentibus maiori cum facilitate præceptionum earum usum instillari
 posse si moneantur, Scalam aliud non esse nec per eã intelligi, quàm se-
 riem dictarum linearum & inter illas contentorum spaciolorum, quibus
 omnis generis Melodiæ inscribantur. Deinde tres hosce cha-
 racteres  nomcn clavis propriissimè mereri: & prout
 iidem in sca la locum habent, singulas lineas, singulaq; spa-
 cia propria syllabâ musicali designari; quâ sonus, Notâ aliquâ
 propriè sic dictâ notatus, exprimatur. Ita Clavium a. b. c. d.
 e. f. g. nullâ mentione opus erit, ut nec usu. Syllabarum nume-
 rus hâc usq; à priscis in senario (ut notum est) contentus fuit.
 Quia autem septem sunt soni simplices, & inter se diversi, adeò, ut
 cum alio ex his unus in soni (puta quod Germani ein Gethôn)
 nominant) æqualitate non sit constitutus, quemadmodum ij, quî
 per diapasôn simplicem sive compositam, vel etiam decompositam
 distant, quorum distantia, quò ad compositionem sive derivationem,
 non autem ad parilitatem soni, differentiam parit, septem quoq;
 syllabas esse oportere arbitratus sum, quæ ad sonorum pronuncia-
 tionem, quemadmodum hi infra vel supra simplicium ordinem se-
 ptenarium pergentes quasi resumptivi ex simplicibus fieri videntur,
 tam in ascensum quàm descensum resummi possint. Quæ si in Sca-
 læ lineis vel spaciis pro situ Clavis, tum & locus (sive is sit li-
 nea sive spaciium) proximus isti, in quo ordo syllabarum se-
 ptenarius subsistit discentibus notificaretur, in indicium ibi syl-
 labarum iterationem, vice Mutationis fungentem in-
 stitui